

EXPLANATIO.

I. VIDENS AVTEM RACHEL. A
 Duas causas præmittit Moses, quibus Rachel incitata cum marito rixatur. *Primo*, sterilitatem. Vidit enim se sterilem. Vidit, inquam, ex euentu: quia in tertium annum commercio viri vsa manserat infœcunda Iacobo, seu, vt habet Onkelos, *ex Iacobo*. Deinde inuidia in sororem ob fœcunditatem facit impatientiam: Erat prima & legitima Iacobi vxor, forma præstans, marito charior. Hinc putat, sibi deberi fœcunditatem, non sorori coniugi obreptitiæ. Importune igitur in maritum insurgit: *Da mihi liberos: Hebr. filios, LXX. filium. Alioqui mortua sum*, hoc est, actum erit de vita mea: quoniam mœrore sterilitatis contabescam & moriar: Est ratio vrgens maritum, quem scit non libenter velle priuari charissima coniuge: Vel est indignantis: Mori malim, quam sterilis viuere.

DA MIHI. Aliqui: *Ora pro me Deum, vt det.* Sed responsum Iacobi hunc sensum excludit. Est ergo importunitas muliebris ex superbia orta, quod negatam sibi à Deo fœcunditatem vult extorquere à marito: existimans, ex se sola, non ex sorore semen Abrahami multiplicari oportere: Accedit contemptus sororis, à qua nihil erat læsa. Sic inuidia etiam nullis læsa iniuriis, bonis alienis accenditur. Coercetur à Iacobo graui responso: **NVNQVIB SVM EGO PRO DEO?** Onkelos: *Nunquid à me tu petis filios? Nonne à facie Domini debuisses petere, qui prohibuit à te generationem ventris tui?* Obiurgat imprudentiam vxoris, licet charissimæ, duplici nomine: *Primum*, quod in Deum sit impia, spolians eum suo honore, postulando ab homine, quod est solius Dei. *Deinde*, quod plagam sterilitatis diuinitus impositam non agnoscat: tacite contra hortatur, vt orbitatem patienter ferat: fœcunditatem ve-

ro à Deo exoret. Domesticum hoc iurgium vxorum cum marito & inuicem haud dubie fuit castigatio polygamie Iacobi, ostendens, Deo violationem ordinis coniugii primitus instituti non probari, licet in patribus hunc næuum patienter tolerauerit.

In Rachele habemus exemplum infirmitatis humanæ in quauis fortuna: Rachel donis formæ & gratia mariti effertur, vt contemnat sororem, sed fœcunditate orbata ruit aduersus Deum & maritum impatientia. Idem communiter nos patimur, qui neutram fortunam recte ferimus: Rebus secundis fere insolescimus: aduersis nimium deiicimur. Discamus vero agnoscere nos ipsos & Deum. Dona corporis & fortunæ non nostra, sed Dei sunt: non ergo est cur efferamur. Et Deus dat liberrime, vt vult: non ergo exoptulemus: Nec est obligatus ad dandum: Ergo ne velimus ei extorquere.

C In Iacobo *primum* est exemplum moderatæ prudentiæ: Sic amat coniugem, vt tamen ad eius intemperiem non conuiueat: sic reprehendit, vt simul erudiat de causa prima bonorum & malorum, dirigens eam ad Dei prouidentiam, ne in medijs hæreat. Amor non excludit castigationes eorum, quos amamus: Debet autem castigatio coniuncta esse cum ostensione nostræ beneuolentiæ, & correctione erroris eorum, quos diligimus. *Deinde* speciatim docemur, fœcunditatem coniugum diuinam benedictionem esse, & liberos Dei dono obtingere, Psal. 127.3. *Ecce hereditas Iebouæ, filij: Merces fructus ventris tui.* Sterilitas, licet habeat naturales causas varias in coniugibus, Deum tamen primam causam habet, qui vel immittit impedimenta naturalia, vel sine his vterum claudit, vt etiam vegeti coniuges non generent.

Si, in-

Natales

Aristot. 2. 2. de g. nat. anim.

...fœcunditas e...
 ...militas maledi...
 ...Iesud. ER...
 ...quædam, hoc...
 ...temporalis seu bon...
 ...Non tamen...
 ...medictos. Vt er...
 ...valer ab vna a...
 ...le egit: Ergo...
 ...a priuatione al...
 ...totius bo...
 ...mali. O...
 ...adeo profi...
 ...Sancti: non ex...
 ...desiderio...
 ...promissio...
 ...omnes cupie...
 ...Deinde, quia sen...
 ...erat Chi...
 ...omnes teneban...
 ...Ecclesia in sem...
 ...rebat...
 ...Ecce...
 ...coleretur. Ha...
 ...bitum...
 ...etiam...
 ...optabile: an...
 ...purum culpa